



Edição do Projeto  
Media Latina

# VIA LATINA

ANTOLOGIA DE TEXTOS FACILITADOS  
PARA LEITURA EM LATIM

William C. Collar



# **VIA LATINA**

**ANTOLOGIA DE TEXTOS FACILITADOS  
PARA LEITURA EM LATIM  
(Edição do Projeto Media Latina)**





**William C. Collar**

**VIA LATINA**

**ANTOLOGIA DE TEXTOS FACILITADOS  
PARA LEITURA EM LATIM  
(Edição do Projeto Media Latina)**



## Sumário

I. OS ARGONAUTAS.....	10
1. O tio tirano.....	10
2. Um cadarço desamarrado.....	11
3. O velo de ouro .....	12
4. A construção do navio Argo.....	12
5. A âncora pesada .....	13
6. Um erro fatal .....	14
7. A perda de Ilas.....	15
8. Uma refeição difícil.....	16
9. As Harpias abatidas .....	17
10. As Simplégades.....	18
11. Uma tarefa pesada .....	19
12. O unguento mágico .....	20
13. Semeando os dentes dos dragões .....	21
14. Uma colheita estranha.....	22
15. A fuga de Medea .....	23
16. A captura do velo.....	24
17. Retorno ao navio Argo.....	25
18. Perseguido pela fúria do pai.....	26
19. Um expediente temerário .....	27
20. A barganha com Pélias.....	28
21. Um carneiro cozido.....	29
22. Um experimento perigoso.....	30
23. Um presente fatal .....	31
24. A fuga de Medea e a morte de Jasão .....	32
II. ULISSES .....	33
1. A volta para casa.....	33



2. Os lotófagos .....	34
3. Os lotófagos (continuação).....	35
4. O gigante de um olho .....	36
5. A sopa do gigante .....	37
6. Sem caminho para fugir.....	38
7. Um plano de vingança .....	40
8. Um copo muito cheio.....	41
9. Ninguém.....	42
10. A fuga .....	43
11. Fora de perigo.....	44
12. A terra dos ventos.....	45
13. O saco dos ventos .....	46
14. Sorteio.....	47
15. A casa da feiticeira.....	48
16. Homens transformados em porcos.....	49
17. O contra encanto .....	50
18. A feiticeira frustrada.....	51
19. Porcos mudados em homens.....	52
20. À tona de novo.....	54
III. OS SETE REIS DE ROMA.....	55
1. O começo do Império Romano.....	55
2. Rômulo, primeiro rei de Roma.....	58
3. Numa Pompílio, segundo rei de Roma .....	61
4. Tulo Hostílio, terceiro rei de Roma .....	63
5. Anco Márcio, quarto rei de Roma .....	68
6. Lúcio Tarquínio Prisco, quinto rei de Roma.....	70
7. Sérvio Túlio, sexto rei de Roma .....	72
8. Tarquínio, o Soberbo, sétimo rei de Roma .....	75

Os textos latinos a seguir foram retirados de COLLAR, William C. *Via latina: an easy latin reader*. Boston: Ginn and Company Publishers, 1897. Os títulos foram traduzidos para o português.

Esta edição foi produzida pelo **Projeto Media Latina** e divulgada na primavera de 2022.

Visite a página do Projeto em:

<http://medialatina.lettras.ufrj.br>

Caso queira entrar em contato, o endereço é:

[projetomedialatina@gmail.com](mailto:projetomedialatina@gmail.com)



## **I. OS ARGONAUTAS**

### **1. O tio tirano**

Erant olim in Thessalia duo fratres, quorum alter Aeson, alter Pelias appellatus est. Horum Aeson primum regnum obtinuerat, at post paucos annos Pelias, regni cupiditate adductus, non modo fratrem suum expulit, sed etiam in animo habebat, Iasonem, Aesonis filium, interficere. Quidam tamen ex amicis Aesonis, ubi sententiam Peliae intellexerunt, puerum e tanto periculo eripere constituerunt. Noctu igitur Iasonem ex urbe abstulerunt et cum postero die ad regem rediissent ei renuntiaverunt puerum mortuum esse. Pelias, cum haec audivisset, etsi re vera magnum gaudium percipiebat, speciem tamen doloris praebuit et quae causa esset mortis quaesivit. Illi tamen, cum bene intellegerent dolorem eius falsum esse, nescio quam fabulam de morte pueri finxerunt.

## **2. Um cadarço desamarrado**

Post breve tempus Pelias, veritus ne regnum suum tanta vi et fraude occupatum amitteret, amicum quondam Delphos misit, qui oraculum consuleret. Ille igitur quam celerrime Delphos se contulit et quam ob causam venisset demonstravit. Respondit oraculum nullum esse in praesentia periculum; monuit tamen Peliam ut, si quis veniret calceum unum gerens, eum caveret. Post paucos annos accidit ut Pelias magnum sacrificio facturus esset; nuntios in omnis partis diserta et certum diem conveniendi dixerat. Die constituto magnus numerus hominum undique ex agris convenit; inter alios autem venit etiam Iason, qui a puero apud Centaurum quendam vixerat. Dum tamen iter facit, calceum alterum in transeundo nescio quo flumine amisit.

### **3. O velo de ouro**

Iason igitur, cum calceum amissum nullo modo recipere posset, altero pede nudo in regiam pervenit. Quem cum vidisset Pelias, subito timore adfectus est; intellexit enim hunc esse hominem quem oraculum demonstravisset. Hoc igitur iniit consilium. Rex erat quidam nomine Aetes, qui regnum Colchidis illo tempore obtinebat. Huic commissum erat vellus illud aureum quod Phrixus olim ibi reliquerat. Constituit igitur Pelias Iasoni negotium dare ut hoc vellere potiretur; cum enim res esset magni periculi, sperabat eum in itinere periturum esse, Iasonem igitur ad se arcessivit et quid fieri vellet demonstravit. Iason autem, etsi bene intellegebat rem esse difficillimam, negotium libenter suscepit.

### **4. A construção do navio Argo**

Cum tamen Colchis multorum dierum iter ab eo loco abesset, noluit Iason solus proficisci. Dimisit igitur nuntios in omnis partis, qui causam itineris

docerent et diem certum conveniendi dicerent. Interea, postquam omnia quae sunt usui ad armandas navis comportari iussit, negotium dedit Argo cuidam, qui summam scientiam rerum nauticarum habebat, ut navem aedificaret. In his rebus circiter decem dies consumpti sunt; Argus enim qui operi praeerat tantam diligentiam praebebat, ut ne nocturnum quidem tempus ad laborem intermitteret. Ad multitudinem hominum transportandam navis paulo erat latior quam quibus in nostro mari uti consuevimus et ad vim tempestatum perferendam tota e robore facta est.

## **5. A âncora pesada**

Interea is dies appetebat quem Iason per nuntios edixerat et ex omnibus regionibus Graeciae multi, quos aut rei novitas aut spes gloriae movebat, undique conveniebant. Tradunt autem in hoc numero fuisse Herculem, Orpheum, citharoedum praeclarissimum, Theseum, Castorem multosque

alios, quorum nomina notissima sunt. Ex his Iason, quos arbitratus est ad omnia subeunda pericula paratissimos esse, eos ad numerum quinquaginta delegit et socios sibi adiunxit. Tum paucos dies commoratus, ut ad omnis casus subsidia compararet, navem deduxit et tempestatem ad navigandum idoneam nactus magno cum plausu omnium solvit.

## **6. Um erro fatal**

Haud multum post Argonautae, ita enim appellati sunt qui in ista navi vehebantur, insulam quandam nomine Cyzicum attigerunt et e navi egressi a rege illius regionis hospitio excepti sunt. Paucas horas ibi commorati ad solis occasum rursus solverunt; at postquam pauca millia passuum progressi sunt tanta tempestatem subito coorta est ut cursum tenere non possent et in eandem partem insulae unde nuper profecti erant magno cum periculo deicerentur. Incolae tamen, cum nox esset obscura, Argonautas non agnoscebant et navem



inimicam venisse arbitrati, arma rapuerunt et eos egredi prohibebant. Acriter in litore pugnatum est et rex ipse, qui cum aliis decucurrerat, ab Argonautis occisus est. Mox tamen, cum iam dilucesceret, senserunt incolae se errare et arma abiecerunt; Argonautae autem, cum viderent regem occisum esse, magnum dolorem perceperunt.

## **7. A perda de Ilas**

Postridie eius diei Iason, tempestatem satis idoneam esse arbitratus, summa enim tranquillitas iam consecuta erat, ancoras sustulit et pauca millia passuum progressus, ante noctem Mysiam attigit. Ibi paucas horas in ancoris expectavit; a nautis enim cognoverat aquae copiam quam secum haberent iam deficere, quam ob causam quidam ex Argonautis in terram egressi aquam quaerebant. Horum in numero erat Hylas quidam, puer forma praestantissima, qui dum fontem quaerit a comitibus paulum secesserat. Nymphae autem, quae fontem colebant, cum

iuvenem vidissent, ei persuadere conatae sunt ut secum maneret; et cum ille negaret se hoc facturum esse puerum vi abstulerunt. Comites eius, postquam Hylam amissum esse senserunt, magno dolore adfecti, diu frustra quaerebant; Hercules autem et Polyphemus, qui vestigia pueri longius secuti erant, ubi tandem ad litus redierunt, Iasonem solvisse cognoverunt.

### **8. Uma refeição difícil**

Post haec Argonautae ad Thraciam cursum tenuerunt et postquam ad oppidum Salmydessum navem appulerant in terram egressi sunt. Ibi cum ab incolis quaesissent quis regnum eius regionis obtineret, certiores facti sunt Phineum quendam tum regem esse. Cognoverunt etiam hunc caecum esse et diro quodam supplicio adfici, quod olim se crudelissimum in filios suos praebuisset. Cuius supplicii hoc erat genus. Missa erant a Iove monstra quaedam, specie horribili, quae capita virginum,

corpora volucrum habebant. Hae volucres, quae Harpyiae appellabantur, Phineo summam molestiam adferebant quotiens enim ille accubuerat, veniebant et cibum appositum statim auferebant. Quae cum ita essent, haud multum afuit quin Phineus fame moreretur.

### **9. As Harpias abatidas**

Res igitur in hoc loco erant, cum Argonautae navem appulerunt. Phineus autem, simul atque audivit eos in suos finis egressos esse, magno opere gavisus est. Sciebat enim quantam opinionem virtutis Argonautae haberent nec dubitabat quin sibi auxilium ferrent. Nuntium igitur ad navem misit, qui Iasonem sociosque ad regiam vocaret. Eo cum venissent, Phineus demonstravit quanto in periculo suae res essent et promisit se magna praemia daturum esse, si illi remedium repperissent. Argonautae negotium libenter susceperunt et ubi hora venit cum rege accubuerunt; at simul ac cena

apposita est, Harpyiae cenaculum intraverunt et cibum auferre conabantur. Argonautae primum gladiis volucris petierunt; cum tamen viderent hoc nihil prodesse, Zetes et Calais, qui alls instructi sunt, in aera se sublevaverunt, ut desuper impetum facerent. Quod cum sensissent Harpyiae, rei novitate perterritae, statim aufugerunt neque postea umquam redierunt.

## **10. As Simplégades**

Hoc facto, Phineus, ut pro tanto beneficio meritas gratias referret, Iasoni demonstravit qua ratione Symplegades vitare posset. Symplegades autem duae erant rupes ingenti magnitudine, quae a love positae erant eo consilio, ne quis ad Colchida perveniret. Hae parvo intervallo in mari natabant et si quid in medium spatium venerat incredibili celeritate concurrebant. Postquam igitur a Phineo doctus est quid faciendum esset, Iason sublatiis ancoris navem solvit et leni vento provectus mox ad

Symplegades appropinquavit; tum in prora stans columbam quam in manu tenebat emisit. Illa recta via per medium spatium volavit et priusquam rupes conflixerunt incolumis evasit cauda tantum amissa. Tum rupes utrimque discesserunt; antequam tamen rursus concurrerent, Argonautae, bene intellegentes omnem spem salutis in celeritate positam esse, summa vi remis contenderunt et navem incolumem perduxerunt. Hoc facto, dis gratias libenter egerunt, quorum auxilio e tanto periculo erepti essent; bene enim sciebant non sine auxilio deorum rem ita feliciter evenisse.

## **11. Uma tarefa pesada**

Brevi intermisso spatio, Argonautae ad flumen Phasim venerunt, quod in finibus Colchorum erat. Ibi cum navem appulissent et in terram egressi essent, statim ad regem Aeetem se contulerunt et ab eo postulaverunt ut vellus aureum sibi traderetur. Ille cum audivisset quam ob causam Argonautae

venissent, ira commotus est et diu negabat se vellus traditurum esse. Tandem tamen, quod sciebat Iasonem non sine auxilio deorum hoc negotium suscepisse, mutata sententia promisit se vellus traditurum, si Iason labores duos difficillimos prius perfecisset; et cum Iason dixisset se ad omnia pericula subeunda paratum esse, quid fieri vellet ostendit. Primum iungendi erant duo tauri specie horribili, qui flammam ex ore edebant. Tum, his iunctis, ager quidam arandus erat et dentes draconis serendi. His auditis Iason, etsi rem esse summi periculi intellegebat, tamen, ne hanc occasionem rei bene gerendae amitteret, negotium suscepit.

## **12. O unguento mágico**

At Medea, regis filia, Iasonem adamavit et ubi audivit eum tantum periculum subiturum esse rem aegre ferebat. Intellegebat enim patrem suum hunc laborem proposuisse eo ipso consilio, ut Iason moreretur. Quae cum ita essent, Medea, quae

summam scientiam medicinae habebat, hoc consilium iniit. Media nocte clam patre ex urbe evasit et postquam in montis finitimos venit herbas quasdam carpsit; tum suco expresso unguentum paravit quod vi sua corpus aleret nervosque conflrmaret. Hoc facto Iasoni unguentum dedit, praecepit autem ut eo die quo isti labores conficiendi essent corpus suum et arma mane oblineret. Iason, etsi paene omnis magnitudine et viribus corporis antecellebat, vita enim omnis in venationibus atque in studiis rei militaris constiterat, censebat tamen hoc consilium non neglegendum esse.

### **13. Semeando os dentes dos dragões**

Ubi is dies venit quem rex ad arandum agrum edixerat, Iason orta luce cum sociis ad locum constitutum se contulit. Ibi stabulum ingens repperit in quo tauri inclusi lo erant; tum portis apertis tauros in lucem traxit et summa cum difficultate iugum imposuit. At Aeetes, cum videret tauros nihil

contra Iasonem valere, magno opere miratus est; nesciebat enim filiam suam auxilium ei dedisse. Tum Iason omnibus aspicientibus agrum arare coepit, qua in re tantam diligentiam praebuit, ut ante meridiem totum opus confecerit. Hoc facto, ad locum ubi rex sedebat adiit et dentis draconis postulavit. Quos ubi accepit, in agrum quem araverat magna cum diligentia sparsit. Horum autem dentium natura erat talis ut in eo loco ubi insiti essent viri armati miro quodam modo gignerentur.

#### **14. Uma colheita estranha**

Nondum tamen Iason totum opus confecerat; imperaverat enim ei Aeetes ut armatos viros, qui e dentibus gignerentur, solus interficeret. Postquam igitur omnis dentis. In agrum sparsit, Iason lassitudine exanimatus quieti se tradidit, dum viri isti gignerentur. Paucas horas dormiebat; sub vesperum tamen e somno subito excitatus rem ita evenisse ut praedictum erat cognovit nam in omnibus



agri partibus viri ingenti magnitudine corporis, gladiis galeisque armati, mirum in modum e terra oriebantur. Hoc cognito Iason consilium quod dederat Medea non omittendum esse putabat. Saxum igitur ingens, ita enim praeceperat Medea, in medios viros coniecit. Illi undique ad locum concurrerunt et cum quisque sibi id saxum nescio cur habere vellet magna controversia orta est. Mox strictis gladiis inter se pugnare coeperunt et cum hoc modo plurimi occisi assent reliqui vulneribus confecti a Iasone nullo negotio interfecti sunt.

### **15. A fuga de Medea**

At rex Aeetes, ubi cognovit Iasonem laborem propositum confecisse, ira graviter commotus est, intellegebat enim id per dolum factum esse, nec dubitabat quin Medea auxilium ei tulisset. Medea autem, cum intellexeret se in magno fore periculo, si in regia mansisset, fuga salutem petere constituit. Omnibus igitur ad fugam paratis media nocte

insciente patre cum fratre Absyrto evasit et, quam celerrime ad locum ubi Argo subducta erat se contulit. Eo cum venisset, ad pedes Iasonis se proiecit et multis cum lacrimis obsecravit eum, ne in tanto discrimine mulierem desereret, quae ei tantum profuisset. Ille, quod memoria tenebat se per eius auxilium e magno periculo evasisse, libenter eam excepit et postquam causam veniendi audivit hortatus est ne patris iram timeret. Promisit autem se quam primum eam in navi sua avecturum.

## **16. A captura do velo**

Postridie eius diei Iason cum sociis suis orta luce navem deduxit et tempestatem idoneam nacti ad eum locum remis contenderunt, quo in loco Medea vellus celatum esse demonstravit. Eo cum venissent Iason in terram egressus est et sociis ad mare relictis qui praesidio navi essent ipse cum Medea in silvas viam cepit. Pauca millia passuum per silvam progressus vellus quod quaerebat ex arbore

suspensum vidit. Id tamen auferre res erat summae difficultatis; non modo enim locus ipse egregie et natura et arte munitus erat, sed etiam draco quidam specie terribili arborem custodiebat. At Medea, quae, ut supra demonstravimus, medicinae summam scientiam habuit, ramum quem ex arbore proxima deripuerat veneno infecit. Hoc facto ad locum appropinquavit et draconem, qui faucibus apertis adventum exspectabat, veneno sparsit. Proinde, dum draco, somno oppressus dormit, Iason vellus aureum ex arbore deripuit et cum Medea quam celerrime pedem rettulit.

### **17. Retorno ao navio Argo**

Dum tamen ea geruntur, Argonautae, qui ad mare felicti erant, animo anxio reditum Iasonis exspectabant bene enim intellegebant id negotium summi esse periculi. Postquam igitur ad occasum solis frustra exspectaverant, de eius salute desperare coeperunt nec dubitabant quin aliqui casus

accidisset. Quae cum ita essent, maturans dum sibi censuerunt, ut auxilium duci ferrent, et dum proficisci parant lumen quoddam subito conspiciunt mirum in modum inter silvas refulgens. Magno opere mirati quae causa esset eius rei ad locum concurrunt. Quo cum venissent, Iasoni et Medae advenientibus occurrerunt et vellus aureum luminis eius causam esse cognoverunt. Omni timore sublato, magno cum gaudio ducem suum exceperunt et dis gratias libenter rettulerunt quod res ita feliciter evenisset.

### **18. Perseguido pela fúria do pai**

His rebus gestis, omnes sine mora navem rursus conscenderunt et sublatis ancoris prima vigilia solverunt; neque enim satis tutum esse arbitrati sunt in eo loco manere. At rex Aetes, qui iam ante inimico in eos fuerat animo, ubi cognovit filiam suam non modo ad Argonautas se recepisse sed etiam ad vellus auferendum auxilium tulisse, hoc dolore gravius exarsit. Navem longam quam

celerrime deduci iussit et militibus impositis fugientis insecutus est. Argonautae, qui bene sciebant rem in discrimine esse, summis viribus remis contendebant. Cum tamen navis qua vehebantur ingenti esset magnitudine, non eadem celeritate qua Colchi progredi poterant. Quae cum ita essent, minimum a fuit quin a Colchis sequentibus caperentur neque enim longius intererat quam quo telum adici posset. At Medea, cum vidisset quo in loco res essent, paene omni spe deposita, infandum hoc consilium cepit.

### **19. Um expediente temerário**

Erat in navi Argon autarum filius quidam regis Aetiae, nomine Absyrtus, quem, ut supra demonstravimus, Medea ex urbe fugiens secum abduxerat. Hunc puerum Medea constituit interficere eo consilio ut membris eius in mare coniectis cursum Colchorum impediret pro certo enim; sciebat Aetem, cum membra fili vidisset, non longius

prosecuturum esse, neque opinio eam fefellit; omnia enim ita evenerunt ut Medea speraverat. Aeetes, ubi primum membra vidit, ad ea conligenda navem statui iussit; dum tamen ea geruntur, Argonautae non interis misso remigandi labore, mox, quod necesse fuit, e conspectu hostium remoti sunt neque prius fugere destiterunt quam ad flumen Eridanum pervenerunt. At Aeetes nihil sibi profuturpm esse arbitratus, si longius progressus esset, animo demisso domum revertit, ut fill corpus ad sepulturam daret.

## **20. A barganha com Pélias**

Tandem post multa pericula Iason in eundem locum pervenit unde olim profectus erat. Tum e navi egressus ad regem Peliam, qui regnum adhuc obtinebat, statim se contulit et vellere aureo monstrato ab eo postulavit ut regnum sibi traderetur; Pelias enim pollicitus erat, si Iason vellus rettulisset, se regnum ei traditurum. Post quam Iason ostendit

quid fieri vellet Pelias primum nihil respondit, sed diu in eadem tristitia tacitus permansit tandem ita locutus est. “Vides me aetate iam esse confectum neque dubium est quin dies supremus mihi adsit. Liceat igitur mihi dum vivam hoc regnum obtinere; tum, postquam ego e vita discessero, tu in meum locum venies”. Hac oratione adductus Iason respondit se id facturum quod ille rogasset.

## **21. Um carneiro cozido**

His rebus cognitis Medea rem aegre tulit et regni cupiditate adducta constituit mortem regi per dolum inferre. Hoc constituto, ad filias regis venit atque ita locuta est. “Videtis patrem vestrum aetate iam esse confectum neque ad laborem regnandi perferendum satis valere. Voltisne eum rursus iuvenem fieri?” Tum filiae regis his auditis ita responderunt. “Num hoc fieri potest? Quis enim umquam e sene iuvenis factus est?” At Medea respondit, “Scitis me medicinae summam habere

scientiam. Nunc igitur vobis demonstrabo quo modo haec res fieri possit”. His dictis, cum arietem aetate iam confectum interfecisset, membra eius in vas aeneum posuit et igni supposito aquae herbas quasdam infudit. Tum, dum aqua effervesceret, carmen magicum cantabat. Post breve tempus aries e vase exsiluit et viribus reffectis per agros currebat.

## **22. Um experimento perigoso**

Dum filiae regis hoc miraculum stupentes intuentur, Medea ita locuta est. “Videtis quantum valeat medicina. Vos igitur, si voltis patrem vestrum in adulescentiam reducere, id quod feci ipsae facietis. Vos patris membra in vas conicite; ego herbas magicas praebebo”. His auditis filiae regis consilium quod dederat Medea non omittendum putaverunt. Patrem igitur Peliam necaverunt et membra eius in vas aeneum coniecerunt; nihil enim dubitabant quin hoc maxime ei profuturum esset. At res omnino aliter evenit ac speraverant, Medea enim



non easdem herbas dedit quibus ipsa usa erat. Itaque, postquam diu frustra expectaverunt, patrem suum re vera mortuum esse intellexerunt. His rebus gestis, Medea sperabat se cum coniuge suo regnum accepturam esse at cives, cum intellexerent quo modo Pelias periisset, tantum scelus aegre tulerunt itaque Iasone et Medea e regno expulsis Acastum regem creaverunt.

### **23. Um presente fatal**

Post haec Iason et Medea e Thessalia expulsi ad urbem Corinthum venerunt, cuius urbis Creon quidam regnum tum obtinebat. Erat autem Creonti filia una, nomine Glauce. Quam cum vidisset, Iason constituit Medeam uxorem suam repudiare eo consilio, ut Glailcen in matrimonium duceret. At Medea, ubi intellexit quae ille in animo haberet, ira graviter commota, iure iurando confirmavit se tantam iniuriam ulturam. Hoc igitur consilium cepit. Vestem paravit summa arte contextam et variis

coloribus tinctam. Hanc diro quodam infecit veneno, cuius vis talis erat ut si quis eam vestem induisset corpus eius quasi igni ureretur. Hoc facto vestem ad Glaucen misit: ilia autem nihil mali suspicans donum libenter accepit et vestem novam more feminarum statim induit.

#### **24. A fuga de Medea e a morte de Jasão**

Vix vestem induerat Glauce, cum dolorem gravem per omnia membra sensit et post paulum diro cruciatu adfecta e vita excessit. His rebus gestis, Medea furore atque amentia impulsam filios suos necavit. Tum magnum sibi fore periculum arbitrata, si in Thessalia maneret, ex ea regione fugere constituit. Hoc constituto Solem oravit ut in tanto periculo auxilium sibi praeberet. Sol autem his precibus commotus currum quendam misit, cui dracones alis instructi iuncti erant. Medea non omittendam tantam occasionem arbitrata currum conscendit itaque per aera vecta incolumis ad urbem

Athenas pervenit. Iason autem post breve tempus miro modo occisus est. Ille enim, sive casu sive consilio deorum, sub umbra navis suae, quae in litus subducta erat, olim dormiebat. At navis, quae adhuc erecta steterat, in eam partem ubi Iason iacebat subito delapsa virum infelicem oppressit.

## **II. ULISSES**

### **1. A volta para casa**

Urbem Troiam a Graecis decem annos obsessam esse, satis constat; de hoc enim bello Homerus, maximus poetarum Graecorum, Iliadem, opus notissimum, scripsit. Troia tandem per insidias capta, Graeci longo bello fessi domum redire maturaverunt. Omnibus igitur ad profectionem paratis navis deduxerunt et tempestatem idoneam nacti magno cum gaudio solverunt. Erat inter primos Graecorum Ulixes quidam, vir summae virtutis ac prudentiae, quem dicunt nonnulli dolum istum

excogitasse per quem Troiam captam esse constat. Hic regnum insulae Ithacae obtinuerat et paulo antequam cum reliquis Graecis ad bellum profectus est, cum puellam formosissimam, nomine Penelopen, in matrimonium duxisset. Nunc igitur cum iam decem annos quasi in exilio consumpsisset, magna cupidine patriae et uxoris videndae ardebat.

## **2. Os lotófagos**

Postquam tamen pauca millia passuum a litere Troiae progressi sunt, tanta tempestas subito coorta est ut ni alla navium cursum tenere posset, sed aliae alias in partis disicerentur. Navis autem qua ipse Ulixes vehebatur vi tempestatis ad meridiem delata, decimo die ad litus Libyae appulsa est. Ancoris iactis, Ulixes constituit nonnullos e sociis in terram exponere, qui aquam ad navem referrent et qualis esset natura eius regionis cognoscerent. Hi igitur e navi egressi imperata facere parabant. Dum tamen fontem quaerunt, quibusdam ex incolis obviam facti

ab iis hospitio accepti sunt. Accidit autem ut victus eorum hominum e miro quodam fructa quem lotum appellabant paene omnino constaret. Quem cum Graeci gustassent, patriae et sociorum statim obliti confirmaverunt se semper in ea terra mansuros, ut dulci illis cibo in aeternum vescerentur.

### **3. Os lotófagos (continuação)**

At Ulixes, cum ab hora septima ad vesperum exspectasset, veritus ne socii sui in periculo versarentur, nonnullos e reliquis misit, ut quae causa esset morae, cognoscerent. Hi igitur in terram expositi, ad vicum qui non longe afuit se contulerunt quo cum venissent; socios suos quasi vino ebrios reppererunt. Tum ubi causam veniendi docuerunt, iis persuadere conabantur ut secum ad navem redirent. Illi tamen resistere ac manu se defendere coeperunt, saepe clamitantes se numquam ex eo loco abituros. Quae cum ita essent, nuntii re infecta ad Ulixem redierunt. His rebus cognitis, Ulixes ipse cum

omnibus qui in navi relictis sunt ad locum venit et socios suos frustra hortatus ut sponte sua redirent, manibus eorum post terga vinctis, invitos ad navem reportavit. Tum ancoris sublatis quam celerrime e portu solvit.

#### **4. O gigante de um olho**

Postridie eius diei postquam totam noctem remis contenderant, ad terram ignotam navem appulerunt. Tum, quod naturam eius regionis ignorabat, ipse Ulixes cum duodecim e sociis in terram egressus locum explorare constituit. Paulum a litore progressi ad antrum ingens pervenerunt, quod habitari senserunt; eius enim introitum arte et manibus munitum esse animadverterunt. Mox, etsi intellegebant se non sine periculo id facturos, antrum intraverunt, quod cum fecissent, magnam copiam lactis invenerunt in vasis ingentibus conditam. Dum tamen mirantur quis eam sedem incolet, sonitum terribilem audiverunt et oculis ad

portam versis monstrum horribile viderunt, humana quidem specie et figura sed ingenti magnitudine corporis. Cum autem animadvertissent gigantem unum tantum oculum habere in media fronte positum, intellexerunt hunc esse unum e Cyclopiibus, de quibus famam iam acceperant.

### **5. A sopa do gigante**

Cyclopes autem pastores erant quidam, qui insulam Siciliani et praecipue montem Aetnam incolebant; ibi enim Vulcanus, praeses fabrorum et ignis repertor, cuius servi Cyclopes erant, officinam suam habebat. Graeci igitur, simul ac monstrum viderunt, terrore paene exanimati in interiorem partem speluncae refugerunt et se ibi celare conabantur. Polyphemus autem, ita enim gigas appellatus est, pecora sua in speluncam egit tum cum saxo ingenti portam obstruxisset, ignem in medio antro accendit. Hoc facto, oculo omnia perlustrabat et cum sensisset homines in interiore parte antri

celari, magna voce exclamavit. “Qui estis homines? Mercatores an latrones” Tum Ulixes respondit se neque mercatores esse neque praedandi causa venisse sed e Troia redeuntis vi tempestatum a recto cursu depulsos esse; oravit etiam ut sibi sine iniuria abire liceret. Tum Polyphemus quaesivit ubi esset navis qua vecti essent; Ulixes autem, cum bene intellexeret sibi maxime praecavendum esse, respondit navem suam in rupis coniectam et omnino perfractam esse. Polyphemus autem sine ullo responso duo e sociis manu corripuit et membris eorum divolsis carnem devorare coepit.

## **6. Sem caminho para fugir**

Dum haec geruntur, Graecorum animas tantus terror occupavit ut ne vocem quidem edere possent, sed omni spe salutis deposita mortem praesentem exspectarent. At Polyphemus, postquam fames hac tam horribili cena depulsa est, humi prostratus somno se dedit. Quod cum vidisset Ulixes, tantam



occasionem rei bene gerendae non omittendam arbitratus, in eo erat ut pectus monstri gladio transfigeret. Cum tamen nihil temere agendum existimaret, constituit explorare, antequam hoc faceret, qua ratione ex antro evadere possent. At cum saxum animadvertisset, quo introitus obstructus erat, nihil sibi profuturum intellexit si Polyphemum interfecisset. Tanta enim erat eius saxi magnitudo ut ne a decem quidem hominibus amoveri posset. Quae cum ita essent, Ulixes hoc destitit conatu et ad socios rediit; qui, cum intellexissent quo in loco res essent, nulla spe salutis oblata, de fortunis suis desperare coeperunt. Ille tamen, ne animos demitterent, vehementer hortatus est; demonstravit se iam antea e multis et magnis periculis evasisse, neque dubium esse quin in tanto discrimine dii auxilium adlaturi essent.

## **7. Um plano de vingança**

Orta luce Polyphemus iam e somno excitatus idem quod hesterno die fecit; correptis enim duobus e reliquis viris, carnem eorum sine mora devoravit. Tum, cum saxum amovisset, ipse cum pecore suo ex antro progressus est. Quod cum viderent Graeci, magnam in spem venerunt se post paulum evasuros. Mox tamen ab hac spe repulsi sunt; nam Polyphemus, postquam omnes oves exierunt, saxum in locum restituit. Reliqui omni spe salutis deposita lamentis lacrimisque se dediderunt Ulixes vero qui, ut supra demonstravimus, vir magni fuit consili, etsi bene intellegebat rem in discrimine esse, nondum omnino desperabat. Tandem postquam diu toto animo cogitavit, hoc cepit consilium. E lignis quae in antro reposita sunt, palum magnum delegit, quem summa cum diligentia praeacutum fecit; tum postquam sociis quid fieri vellet ostendit, reditum Polyphemi exspectabat.

## **8. Um copo muito cheio**

Sub vesperum Polyphemus ad antrum rediit et eodem modo quo antea cenavit. Tum Ulixes utrem vini prompsit, quem forte ut in talibus rebus accidere consuevit, secum attulerat, et postquam magnam crateram vino replevit, gigantem ad bibendum provocavit. Polyphemus, qui numquam antea vinum gustaverat, totam crateram statim hausit; quod cum fecisset, tantam voluptatem percepit ut iterum et tertium crateram repleti iusserit. Tum cum quaesivisset quo nomine Ulixes appellaretur, ille respondit se Neminem appellari. Quod cum audivisset, Polyphemus ita locutus est: “Hanc tibi gratiam pro tanto beneficio referam; te ultimum omnium devorabo”. His dictis cibo vinoque gravatus recubuit et post breve tempus somno oppressus est. Tum Ulixes sociis convocatis, “Habemus”, inquit, “quam petiimus facultatem; ne igitur tantam occasionem rei bene gerendae omittamus”.

## 9. Ninguém

His dictis postquam extremum palum igni calefecit, oculum Polyphemi dum dormit flagrante ligno transfodit quo facto, omnes in diversas speluncae partis se abdiderunt. At ille subito illo dolore, quod necesse fuit, e somno excitatus, clamorem terribilem sustulit et dum per speluncam errat, Ulixi manum inicere conabatur; cum tamen iam omnino caecus esset, nullo modo hoc efficere potuit. Interea reliqui Cyclopes clamore audito undique ad speluncam convenerunt et ad introitum adstantes quid Polyphemus ageret quaesiverunt et quam ob causam tantum clamorem sustulisset. Ille respondit se graviter vulneratum esse et magno dolore adfici. Cum tamen ceteri quaesivissent quis ei vim intulisset, respondit ille Neminem id fecisse. Quibus auditis, unus e Cyclopiibus, " At si nemo," inquit, " te vulneravit, haud dubium est quin consilio deorutn, quibus resistere nec possumus nec volumus,

hoc supplicio adficiaris." His dictis abierunt Cyclopes eum in insaniam incidisse arbitrati.

## **10. A fuga**

At Polyphemus, ubi socios suos abiisse sensit, furore atque amentia impulsus Ulixem iterum quaerere coepit tandem cum portam invenisset, saxum quo obstructa erat amovit, ut pecus ad agros exiret. Tum ipse in introitu sedit et ut quaeque ovis ad locum venerat tergum eius manibus traictabat, ne viri inter ovis exire possent. Quod cum animadvertisset Ulixes, hoc iniit consilium; bene enim intellexit omnem spem salijtis in dolo magis quam in virtute poni. Primum tres quas vidit pinguiissimas ex oyibus delegit. Quibus inter se viminibus conexis, unum sociorum ventribus earum ita subiecit ut omnino lateret deinde ovis hominem secum ferentis ad portam egit. Id accidit quod fore suspicatus erat. Polyphemus enim, postquam manus tergis earum imposuit, ovis praeterire passus est.

Ulixes, ubi rem ita feliciter evenisse vidit, omnis suos socios ex ordine eodem modo emisit quo; factis, ipse ultimus evasit.

## **11. Fora de perigo**

His rebus ita confectis, Ulixes cum sociis maxime veritus ne Polyphemus fraudem sentiret, quam celerrime ad litus contendit. Quo cum venissent, ab iis qui navi praesidio relictis erant, magna cum laetitia accepti sunt. Hi enim, cum animis anxii iam tres dies reditum eorum in horas exspectavissent, eos in periculum grave incidisse, id quod erat, suspicati, ipsi auxiliandi causa egredi parabant. Tum Ulixes non satis tutum esse arbitratus si in eo loco maneret, quam celerrime proficisci constituit. Iussit igitur omnis navem conscendere et ancoris sublatis paulum a litore in altum proventus est. Tum magna voce exclamavit, “Tu, Polypheme, qui iura hospiti spernis, iustam et debitam poenam immanitatis tuae solvisti”. Hac voce audita

Polyphemus ira vehementer commotus ad mare se contulit et ubi intellexit navem paulum a litore remotam esse saxum ingens manti correptum in eam partem coniecit, unde vocem venire sensit. Graeci autem, etsi minimum a fuit quin submergerentur, nullo accepto damno cursum tenuerunt.

## **12. A terra dos ventos**

Pauca millia passuum ab eo loco progressus Ulixes ad insulam quandam, nomine Aeoliam, navem appulit. Haec patria erat Ventorum.

Luctantes ventos tempestatesque sonoras Imperio premit ac vinclis et carcere frenat. Ibi rex ipse Graecos hospitio accepit atque iis persuasit ut ad recuperandas vires paucos dies in ea regione commorarentur. Septimo die cum socii e laboribus se recepissent, Ulixes, ne anni tempore a navigatione excluderetur, sibi sine mora proficiscendum statuit. Tum Aeolus, qui bene sciebat eum maxime cupidum esse patriae videndae, Ulixi iam profecturo magnum

dedit saccum e corio confectum, in quo ventos omnis praeter unum incluserat. Zephyrum tantum praeterraiserat, quod ilium ventum ad Ithacam navigando idoneum esse sciebat. Ulixes hoc donum libenter accepit et gratiis pro tanto beneficio relatis saccum ad malum ligavit. Tum omnibus ad profectionem paratis meridiano fere tempore e portu solvit.

### **13. O sacco dos ventos**

Novem dies vento secundissimo cursum tenuerunt, iamque in conspectum patriae suae venerant, cum Ulixes lassitudine confectus, ipse enim manu sua gubernabat, ad quietem capiendam recubuit. At socii, qui iamdudum mirabantur quid in illo sacco inclusum esset, cum viderent ducem somno oppressum esse, tantam occasionem non omittendam arbitrati sunt, credebant enim aurum et argentum ibi celari. Itaque spe lucri adducti saccum sine mora solverunt: quo facto, venti “Velut agmine facto | Qua



data porta ruunt et terras turbine perflant”. Extemplo tanta tempestas subito coorta est ut illi cursum tenere non possent, sed in eandem partem unde erant profecti referrentur. Ulixes e somno excitatus, quo in loco res esset, statim intellexit. Saccum solutum et Ithacam post tergum relictam vidit. Tum vero maxima indignatione exarsit sociosque obiurgabat, quod cupiditate pecuniae adducti spem patriae videndae proiecissent.

#### **14. Sorteio**

Brevi intermisso spatio, Graeci insulae cuidam appropinquaverunt quam Circe, filia Solis, incolebat. Ibi cum navem appulisset, Ulixes in terram frumentandi causa egrediendum esse statuit; cognoverat enim frumentum quod in navi haberent iam deficere. Sociis igitur ad se convocatis, quo in loco res esset et quid fieri vellet ostendit. Cum tamen omnes in memoria tenerent quam crudeli morte occubuissent ii qui nuper in patriam Cycloperum

egressi essent, nemo repertus est qui hoc negotium suscipere vellet. Quae cum ita essent, res ad controversiam deducta est. Tandem Ulixes consensu omnium socios in duas partis divisit, quarum alteri Eurylochus, vir summae virtutis, alteri ipse praeesset. Tum hi duo inter se sortiti sunt, uter in terram egrederetur. Hoc facto, Eurylocho sorte evenit ut cum duobus et viginti sociis rem susciperet.

### **15. A casa da feiticeira**

His rebus ita constitutis, ii qui sorte ducti erant in interiorem partem insulae profecti sunt. Tantus tamen timor animos eorum occupaverat ut nihil dubitarent quin morti obviam irent. Vix quidem poterant ii qui in navi relictis erant lacrimas tenere, credebant enim se socios suos numquam iterum visuros. Illi autem aliquantum itineris progressi ad villam quandam pervenerunt, summa magnificentia aedificatam; cuius ad ostium cum adiissent, carmen dulcissimum audiverunt. Tanta autem fuit eius vocis

dulcedo ut nullo modo retineri possent quin ianuam pulsarent. Hoc facto, ipsa Circe foras exiit et summa cum benignitate omnis in hospitium invitavit. Eurylochus insidias comparari suspicatus foris exspectare constituit, at reliqui rei novitate adducti intraverunt. Convivium magnificentum invenerunt omnibus rebus instructum et iussu dominae libentissime accubuerunt. At Circe vinum quod servi apposuerunt medicaments quodam miscuerat, quod cum illi bibissent, gravi sopore subito oppressi sunt.

## **16. Homens transformados em porcos**

Tum Circe, quae artis magicae summam scientiam habebat, baculo aureo quod gerebat capita eorum tetigit quo facto omnes in porcos subito conversi sunt. Interea Eurylochus ignarus quid in aedibus ageretur ad ostium sedebat postquam tamen ad solis occasum anxio animo; et sollicito exspectaverat, solus ad navem regredi constituit. Eo cum venisset, anxietate ac timore ita perturbatus fuit

ut quae vidisset vix lucide narrare posset. At Ulixes satis intellexit socios suos in periculo versari et gladio correpto Eurylocho imperavit ut sine mora viam ad istam domum monstraret. Ille tamen multis cum lacrimis Ulixem complexus obsecrare coepit, ne in tantum periculum se committeret: Si quid gravius ei accidisset, omnium salutem in summo discrimine futuram. Ulixes autem respondit se neminem invitum secum adducturum; ei licere, si mallet, in navi manere; se ipsum sine ullo auxilio rem suscepturum. Hoc cum magna voce dixisset, e navi desiluit et nullo sequente solus in viam se dedit.

### **17. O contra encanto**

Aliquantum itineris progressus ad villam magnificam pervenit, quam cum oculis perlustrasset, statim intrare statuit, intellexit enim hanc esse eandem de qua Eurylochus mentionem fecisset. At cum in eo esset ut limen transiret, subito obviam ei stetit adolescens forma pulcherrima, aureum

baculum manu gerens. Hic Ulixem iam domum intrantem manu corripuit et “Quo ruis”, inquit, “Nonne scis hanc esse Circes domum? Hic inclusi sunt amici tui ex humana specie in porcos conversi. Num vis ipse in eandem calamitatem venire?” Ulixes simul ac vocem audivit deum Mercurium agnovit, nullis tamen precibus ab instituto consilio deterreri potuit. Quod cum Mercurius sensisset, herbam quandam ei dedit, quam contra carmina maxime valere dicebat. “Hanc cape”, inquit, “et ubi Circe te baculo tetigerit, tu stricto gladio impetum in eam vide ut facias”. His dictis Mercurius “Mortales visus medio sermone reliquit, Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram”.

### **18. A feiticeira frustrada**

Brevi intermisso spatio, Ulixes ad omnia pericula subeunda paratus ostium pulsavit et foribus patefactis ab ipsa Circe benigne exceptus est. Omnia

eodem modo atque antea facta sunt. Cenam magnifice instructam viditet accumbere iussus est. Mox, ubi fames cibo depulsa est, Circe poculum aureum vino repletum Ulixi dedit. Ille, etsi suspicatus est venenum sibi paratum esse, poculum exhausit. Quo facto, Circe postquam caput eius baculo tetigit, ea verba locuta est quibus socios eius antea in porcos converterat. Res tamen omnino aliter evenit atque ilia speraverat. Tanta enim vis erat eius herbae quam dederat Mercurius ut neque venenum neque verba quidquam efficere possent. Ulixes autem, sicut iusserat Mercurius, gladio stricto impetum in eam fecit et mortem minitabatur. Tum Circe, cum sensisset artem suam nihil valere, multis cum lacrimis eum obsecrare coepit, ne vitam adimeret.

### **19. Porcos mudados em homens**

Ulixes autem, ubi sensit eam timore perterritam esse, postulavit ut socios sine mora in

humanam speciem reduceret, certior enim factus erat a deo Mercurio eos in porcos conversos esse: nisi id factum esset, ostendit se debitas poenas sumpturum. At Circe his rebus graviter commota ad pedes eius se proiecit et multis cum lacrimis iure iurando confirmavit se quae ille imperasset omnia facturam. Tum porcos in atrium immitti iussit. signo inruerunt et cum ducem suum agnovissent, magno dolore adfecti sunt, quod nullo modo potuerunt eum de rebus suis certiores facere. Circe tamen unguento quodam corpora eorum unxit quo facto omnes post breve; tempus in speciem humanam redditi sunt. Magno cum gaudio Ulixes amicos agnovit et nuntium ad litus misit, qui reliquis Graecis socios receptos esse diceret. Illi autem his rebus cognitis statim ad domum Circaeam se contulerunt; quo cum venissent, omnes universi laetitiae se dederunt.

## **20. À tona de novo**

Postridie eius diei Ulixes in animo habebat ex insula quam pelerrime discedere. Circe tamen, cum haec cognovisset, ex odio ad amorem conversa omnibus precibus eum orare et obtestari coepit ut paucos dies apud se moraretur et hoc tandem impetrato tanta beneficia in eum contulit ut facile ei persuasum sit ut diutius maneret. Postquam tamen totum annum apud Circen consumpserat, Ulixes magno desiderio patriae suae videndae motus est. Sociis igitur ad se convocatis, quid in animo haberet ostendit. Ubi tamen ad litus descendit, navem suam tempestatibus ita adflictam invenit ut ad navigandum paene inutilis esset. Hac re cognita, omnia quae ad navis reficiendas usui sunt comparari iussit qua in re; tantam diligentiam omnes praebebant ut ante tertium diem opus confecerint. At Circe, ubi vidit omnia ad profectionem parata esse, rem aegre ferebat et Ulixem vehementer obsecrabat



ut eo consilio desisteret. Ille tamen, ne anni tempore a navigatione excluderetur, maturandum sibi existimavit at tempestatem idoneam nactus navem solvit. Multa quidem pericula Ulixi subeunda erant antequam in patriam suam perveniret, quae tamen in hoc loco longum est perscribere.

### **III. OS SETE REIS DE ROMA**

#### **1. O começo do Império Romano**

Proca, rex Albanorum, Numitorem et Amulium filios habuit. Numitori, qui natu maior erat, regnum reliquit sed Amulius pulso fratre regnavit et, ut eum subole privaret, Rheam Silviam, eius filiam, Vestae sacerdotem fecit, quae tamen Romulum et Remum geminos edidit. Ea re cognita Amulius ipsam in vincula coniecit, parvulos alveo impositos abiecit in Tiberim, qui tunc forte super ripas erat effusus; sed relabente flumine eos aqua in sicco reliquit. Vastae tum in eis locis solitudines erant. Lupa, ut fama

traditum est, ad vagitum accurrit, infantis lingua lambit, ubera eorum ori admovit matremque se gessit.

Cum lupa saepius ad parvulos veluti ad catulos reverteretur, Faustulus, pastor regius, re animadversa eos tulit in casam et Accae Larentiae coniugi dedit educandos. Adulti deinde hi inter pastores primo ludicris certaminibus vires auxere, deinde venando saltus peragrarere et latrones a rapina pecorum arcere coeperunt. Qua re cum eis insidiati essent latrones, Remus captus est, Romulus vi se defendit. Tum Faustulus necessitate compulsus indicavit Romulo quis esset eorum avus, quae mater. Romulus statim armatis pastoribus Albam properavit.

Interea Remum latrones ad Amulium regem perduxerunt, eum accusantes quasi Numitoris agros infestare solitus esset; itaque Remus a rege Numitori ad supplicium traditus est; at cum Numitor, adulescentis voltum considerans, aetatem

minimeque servilem indolem compararet, haud procul erat quin nepotem agnosceret. Nam Remus oris lineamentis erat matri simillimus aetasque expositionis temporibus congruebat. Ea res dum Numitoris animum anxium tenet, repente Romulus supervenit, fratrem liberat, interempto Amulio avum Numitorem in regnum restituit.

Deinde Romulus et Aemus urbem, in eisdem locis ubi expositi ubique educati erant, condiderunt; sed orta inter eos contentione uter nomen novae urbi daret eamque imperio regeret, auspicia decreverunt adhibere. Remus prior sex voltuces, Romulus postea duodecim vidit. Sic Romulus, victor augurio, urbem Romam vocavit. Ad novae urbis tutelam sufficere vallum videbatur. Cuius angustias inridens cum Remus saltu id traiecisset, eum iratus Romulus interfecit his increpans verbis: “Sic deinde, quicumque alius transiliet moenia mea”. Ita solus potitus est imperio Romulus.

## **2. Rômulo, primeiro rei de Roma**

Romulus imaginem urbis magis quam urbem fecerat incolae deerant. Erat in proximis locus; hunc asylum fecit. Et statim eo mira vis latronum pastorumque confugit. Cum vero uxores ipse populusque non haberent, legatos circa vicinas gentis misit, qui societatem conubiumque novo populo peterent. Nusquam benigne audita legatio est; ludibrium etiam additum: “Cur non feminis quoque asylum aperuistis? Id enim compar foret conubium”. Romulus aegritudinem animi dissimulans ludos parat; indici deinde finitimis spectaculum iubet. Multi convenere studio etiam videndae novae urbis, maxime Sabini cum liberis et coniugibus. Ubi spectaculi tempus venit eoque conversae mentes cum oculis erant, tum signo dato iuvenes Romani discurrunt, virgines rapiunt.

Haec fuit statim causa belli. Sabini enim ob virgines raptas bellum adversus Romanos

sumpserunt et, cum Romae appropinquarent, Tarpeiam virginem nacti sunt, quae aquam forte extra moenia petitem ierat. Huius pater Romanae praeerat arci. Titus Tatius, Sabinorum dux, Tarpeiae optionem muneris dedit, si exercitum suum in Capitolium perduxisset. Iliam petiit quod Sabini in sinistris manibus gererent, videlicet et anulos et armillas. Quibus dolose promissis Tarpeia Sabinos in arcem perduxit, ubi Tatius scutis eam obrui iussit; nam et ea in laevis habuerant. Sic impia proditio celeri poena vindicata est.

Deinde Romulus ad certamen processit et in eo loco ubi nunc Romanum Forum est, pugnam conseruit. Primo impetu vir inter Romanos insignis, nomine Hostilius, fortissime dimidans cecidit; cuius interitu consternati Romani fugere coeperunt. Iam Sabini clamitabant: “Vicimus perfidos hospites, imbellis hostis. Nunc sciunt longe aliud esse virgines rapere, aliud pugnare cum viris”. Tunc Romulus arma

ad caelum tollens Iovi aedem vovit, et exercitus seu forte seu divinitus restitit. Itaque proelium redintegratur; sed raptae mulieres crinibus passis ausae sunt se inter tela volantia inferre et hinc patres hinc viros orantes, pacem conciliarunt. Romulus foedere cum Tatio icto et Sabinos in urbem recepit et regnum cum Tati sociavit. Verum non ita multo post occiso Tatio ad Romulum potentatus omnis recidit. Centum deinde ex senioribus elegit, quorum consilio omnia ageret, quos senatores nominavit propter senectutem. Tres equitum centurias constituit, populum in triginta curias distribuit. His ita ordinatis cum ad exercitum lustrandum contionem in campo ad Caprae paludem haberet, subito coorta est tempestas cum magno fragore tonitribusque et Romulus e conspectu ablatu est. Ad deos transisse volgo creditus est; cui rei fidem fecit Iulius Proculus, vir nobilis. Orta enim inter patres et plebem seditione, in contionem

processit iure iurando adfirmans visum a se Romulum augustiare forma, eundemque praecipere ut seditionibus abstinerent et rem militarem colerent; futurum ut omnium gentium domini exsisterent. Aedes in colle Quirinali Romulo constituta, ipse pro deo cultus et Quirinus est appellatus.

### **3. Numa Pompilio, segundo rei de Roma**

Successit Romulo Numa Pompilius, vir incluta iustitia et religione. Is Curibus, ex oppido Sablnorum, accitus est. Qui cum Romam venisset, ut populum ferum religione mitigaret, sacra plurima instituit. Aram Vestae consecravit et ignem in ara perpetuo alendum virginibus dedit. Flaminem Iovis sacerdotem creavit eumque insigni veste et curuli sella adornavit. Dicitur quondam ipsum Iovem e caelo elicuisse. Hic ingentibus fulminibus in urbem demissis descendit in nemus Aventinum, ubi Numam

docuit quibus sacris fulmina essent procuranda et praeterea imperi certa pignora populo Romano daturum se esse promisit. Numa laetus rem populo nuntiavit. Postridie omnes ad aedis regias convenerunt silentesque expectabant quid futurum esset. Atque sole orto delabitur e caelo scisso scutum, quod ancile appellavit Numa. Id ne furto auferri posset, Mamurium fabrum undecim scuta eadem forma fabricare iussit. Duodecim autem Salios Martis sacerdotes legit, qui ancilia, secreta ilia imperi pignora, custodirent et Kalendis Martiis per urbem canentes et rite saltantes ferrent.

Annum in duodecim mensis ad cursum lunae descripsit; nefastos fastosque dies fecit portas Iano gemino; aedificavit, ut esset index pacis et belli; nam apertus, in armis esse civitatem, clausus, pacatos circa omnis populos, significabat.

Leges quoque plurimas et utiles tulit Numa. Ut vero maiorem institutis suis auctoritatem conciliaret,



simulavit sibi cum dea Egeria esse colloquia nocturna, eiusque monitu se omnia quae ageret facere. Lucus erat, quem medium fons perenni rigabat aqua; eo saepe Numa sine arbitris se inferebat, velut ad congressum deae: ita omnium animos ea pietate imbuit ut fides ac ius iurandum non minus quam legum et poenarum metus civis contineret. Bellum quidem nullum gessit, sed non minus civitati profuit quam Romulus. Morbo exstinctus in Ianiculo monte sepultus est. Ita duo deinceps reges, ille bello, hic pace, civitatem auxerunt. Romulus septem et triginta regnavit annos, Numa tres et quadraginta.

#### **4. Tulo Hostílio, terceiro rei de Roma**

Mortuo Numa Tullus Hostilius rex creatus est. Hic non solum proximo regi dissimilis, sed ferocior etiam Romulo fuit. Eo regnante bellum inter Albanos et Romanos exortum est. Ducibus Hostilio et Fufetio placuit rem paucorum certamine finiri. Erant apud

Romanes trigemini fratres Horatii, tres apud Albanos Curiatii. Cum eis agunt reges ut pro sua quisque patria dimicent ferro. Foedus ictum est ea lege, ut unde victoria ibi imperium esset.

Icto foedere trigemini arma capiunt et in medium inter duas acies procedunt. Considerant utrimque duo exercitus. Datur signum infestisque armis terni iuvenes, magnorum exercituum animos gerentes, concurrunt. Ut primo concursu increpuere arma micantesque fulsere gladii, horror ingens spectantis perstringit. Consertis deinde manibus statim duo Romani alius super alium exspirantes ceciderunt; tres Albani volnerati. Ad casum Romanorum conclamavit gaudio exercitus Albanus. Romanos iam spes tota deserebat. Unum Horatium tres Curiatii circumsteterant. Forte is integer fuit; sed quia tribus impar erat, ut distraheret hostis, fugam capessivit, singulos per intervalla secuturos esse ratus. Iam aliquantum spatii ex eo loco ubi

pugnatum est aufugerat, cum respiciens videt unum e Curiatiis haud procul ab sese abesse. In eum magno impetu redit et, dum Albas nus exercitus inclamat Curiatiis ut opera ferant fratri, iara Horatius eum occiderat. Alterum deinde, priusquam tertius posset consequi, interfecit.

Iam singuli supererant, sed nec spe nec viribus pares. Alter erat intactus ferro et geminata victoria ferox; alter fessum volnere fessum cursu trahebat corpus. Nec illud proelium fuit. Romanus exsultans male sustinentem arma Curiatium conficit, iacentem spoliat. Romani ovantes ac gratulantes Horatium accipiunt et domum deducunt. Princeps ibat Horatius trium fratrum spolia prae se gerens. Cui obvia fuit soror, quae desponsa fuerat uni ex Curiatiis, visoque super umeros fratris paludamento sponsi, quod ipsa confecerat, flere et crinis solvere coepit. Movet ferocis iuvenis animum comploratio sororis in tanto gaudio publico; itaque stricto gladio transfigit

puellam, simul eam verbis increpans: “Abi hinc cum immaturo amore ad sponsum, oblita fratrum, oblita patriae. Sic eat quaecumque Roman a lugebit hostem”.

Atrox id visum est facinus patribus plebique qua re; raptus est in ius Horatius, et apud iudices condemnatus. Iam accesserat lictor iniciebatque laqueum. Tum Horatius ad populum provocavit. Interea patris Horati senex proclamabat filiam suam iure caesam esse; et iuvenem amplexus spoliaque Curiatorum ostentans orabat populum ne se, quem paulo ante cum egregia stirpe conspexissent, orbem liberis faceret. Non tulit populus patris lacrimas iuvenemque absolvit admiratione magis virtutis quam iure causae. Ut tamen caedes manifesta expiaretur, pater quibusdam sacrificiis peractis transmisit per viam tigillum et filium capite adoperto velut sub iugum misit quod tigillum sororium appellatum est.

Non diu pax Albana mansit; nam Mettius Fufetius, dux Albanorum, cum se invidiosum apud civis videret, quod bellum uno paucorum certamine finisset, ut rem corrigeret, Veientes Fidenatesque adversus Romanos concitavit. Ipse a Tulio in auxilium arcessitus aciem in collem subduxit, ut fortunam belli exspectaret et sequeretur. Qua re Tullus intellecta magna voce ait suo illud iussu Mettium facere, ut hostes a tergo circumvenirentur. Quo audito hostes territi et victi sunt. Posters die Mettius cum ad gratulandum Tullo venisset, iussu illius quadrigis religatus et in diversa distractus est. Deinde Tullus Albam propter duels perfidiam diruit et Albanos Romam transire iussit.

Roma interim crevit Albae ruinis; duplicatus est civium numerus; mons Caelius urbi additus et, quo frequentius habitaretur, eam sedem Tullus regiae cepit ibique deinde habitavit. Auctarum virium fiducia elatus bellum Sabinis indixit: pestilentia

insecuta est; nulla tamen ab armis quies dabatur. Credebat enim rex bellicosus salubriora militiae quam domi esse iuvenum corpora sed ipse quoque diuturno morbo est implicatus. Tunc vero adeo fracti simul cum corpore sunt spiritus illi feroces ut nulli rei posthac nisi sacris operam daret. Memorant Tullum fulmine ictum cum domo conflagrasse. TuUus magna gloria belli regnavit annos duos et triginta.

### **5. Anco Márcio, quarto rei de Roma**

Tullo mortuo Ancum Marcium regem populus creavit. Numae Pompili nepos Ancus Marcius erat, aequitate et religione avo similis. Tunc Latini, cum quibus Tullo regnante ictum foedus erat, sustulerant animos et incursionem in agrum Romanum fecerunt. Ancus, priusquam eis bellum indiceret, legatum misit, qui res repeteret, eumque morem posterii acceperunt. Id autem hoc modo fiebat. Legatus, ubi ad finis eorum venit a quibus res repetuntur, capite velato, “Audi, Iuppiter”, inquit, “audite, fines huius

populi. Ego sum publicus nuntius populi Romani: verbis meis fides sit". Deinde peragit postulata. Si non deduntur res quas exposcit, hastam in finis hostium emittit bellumque ita indicit. Legatus qui ea de re mittitur fetialis, ritusque belli indicendi ius fetiale appellatur

Legato Romano res repetenti superbe respohsum est a Latinis: qua re bellum hoc modo eis indictijm est. Ancus exercitu conscripto profectus Latinos fudit et compluribus oppidis deletis civis Romam traduxit. Cum autem in tanta hominum multitudine facinora clandestina fierent, Ancus carcerem in media urbe ad terrorem increscentis audaciae aedificavit. Idem nova moenia urbi circumdedit, Ianiculum montem ponte sublicio in Tiberi facto urbi coniunxit, in ore Tiberis Ostiam urbem condidit. Pluribus aliis rebus intra paucos annos confectis immatura morte praereptus obiit.

## **6. Lúcio Tarquínio Prisco, quinto rei de Roma**

Anco regnante Lucius Tarquinius, Tarquiniis ex Etruriae urbe profectus, cum coniuge et fortunis omnibus Romam commigravit. Additur haec fabula: advenienti aquila pilleum sustulit et super carpentum, cui Tarquinius insidebat, cum magno clangore volitans rursus capiti apte reposuit; inde sublimis abiit. Tanaquil coniunx, caelestium prodigiorum perita, regnum ei portendi intellexit itaque, virum complexa, excelsa et alta sperare eum iussit. Has spes cogitationesque secum portantes urbem ingressi sunt, domicilioque ibi comparato Tarquinius pecunia et industria dignitatem atque etiam Anci regis familiaritatem consecutus est; a quo tutor liberis relictus regnum interceptit et ita administravit, quasi iure adeptus esset.

Tarquinius Priscus Latinos bello domuit; Circum Maximum aedificavit; de Sabinis triumphavit; murum lapideum urbi circumdedit. Equitum



centurias duplicavit, nomina mutare non potuit, deterritus, ut ferunt, Atti Navi auctoritate. Attus enim, ea tempestate augur inclutus, id fieri posse negabat, nisi aves addixissent; iratus rex in experimentum artis eum interrogavit fierine posset quod ipse mente concepisset; Attus augurio acto fieri posse respondit. “Atqui hoc”, inquit rex, “agitabam, num cotem illam secare novacula possem”. “Potes ergo”, inquit augur, et rex secuisse dicitur. Tarquinius filium tredecim annorum, quod in proelio hostem percussisset, praetexta bullaque donavit; unde haec ingenuorum puerorum insignia esse coeperunt.

Supererant duo Anci filii, qui aegre ferentes se paterno regno fraudatos esse regi insidias paraverunt. Ex pastoribus duos ferocissimos deligunt ad patrandum facinus. Ei simulata rixa in vestibulo regiae tumultuantur. Quorum clamor cum penitus in regiam pervenisset, vocati ad regem pergunt. Primo

uterque vociferari coepit et certatim alter alteri obstrepere. Cum vero iussi essent invicem dicere, unus ex composito rem orditur; dumque intentus in eum se rex totus avertit, alter elatam secflrim in eius caput deiedit, et relicto in volnere telo ambo foras se proripiunt.

### **7. Sérvio Túlio, sexto rei de Roma**

Post hunc Servius Tullius suscepit imperium genitus ex nobili femina, captiva tamen et famula. Qui cum in domo Tarquini Prisci educaretur, ferunt prodigium visu eventuque mirabile accidisse. Flammae species pueri dormientis caput amplexa est. Hoc visu Tanaquil summam ei dignitatem portendi intellexit coniugique suasit ut eum haud secus ac suos llberos educaret. Is postquam adolevit, et fortitudine et consilio insignis fuit. In proelio quodam, in quo rex Tarquinius adversus Sabinos conflixit, militibus segnius dimicantibus, raptum signum in hostem misit. Cuius recipiendi gratia

Romani tam acriter pugnaverunt ut et signum et victoriam referrent. Qua re a Tarquinio gener adsumptus est; et cum Tarquinius occisus esset, Tanaquil, Tarquini uxor, mortem eius celavit populumque ex superiore parte aedium adlocuta, ait regem grave quidem, sed non letale vulnus accepisse eumque petere ut interim, dum convalesceret, Servio Tullio dicto audientes essent. Sic Servius Tullius regnare coepit, sed recte imperium administravit. Sabinos subegit; montis tres, Quirinalem, Viminalem, Esquilinum urbi adiunxit; fossas circa murum duxit. Idem censum ordinavit et populum in classis et centurias distribuit.

Servius Tullius aliquod urbi decus addere volebat. Iam tum inclutum erat Dianae Ephesiae fanum. Id communiter a civitatibus Asiae factum fama ferebat. Itaque Latinorum populis suasit ut et ipsi fanum Dianae cum populo Romano Romae in Aventino monte aedificarent. Quo facto bos mirae

magnitudinis cuidam Latino nata dicitur et responsum somnio datum, eum populum summam imperi habiturum cuius civis bovem illam Dianae immolasset. Latinus bovem ad fanum Dianae egit et causam sacerdoti Romano exposuit. Ille callidus dixit prius eum vivo flumine manus abluere debere. Latinus dum ad Tiberim descendit, sacerdos bovem immolavit. Ita imperium civibus sibique gloriam adquisivit.

Servius Tullius filiam alteram ferocem, mitem alteram habens, cum Tarquini filios pari esse animo videret, ferocem miti, mitem feroci in matrimonium dedit, ne duo violenta ingenia matrimonio iungerentur. Sed mites seu forte seu fraude perierunt; ferocis morum similitudo coniunxit. Statim Tarquinius a Tullia incitatus advocato senatu regnum paternum repetere coepit. Qua re audita Servius dum ad curiam contendit, iussu Tarquini per gladiis delectus et domum refugiens interfectus est.

Tullia carpento vecta in Forum properavit et coniugem e curia evocatum prima regem salutaivit; cuius iussu cum e turba ac tumultu decessisset domumque rediret, viso patris corpore mulionem cunctantem et frena inhibentem super ipsum corpus carpentum agere iussit. Unde vicus ille sceleratus dictus est. Servius Tullius regnavit annos quattuor et quadraginta.

### **8. Tarquínio, o Soberbo, sétimo rei de Roma**

Tarquinius Superbus regnum sceleste occupavit. Tamen bello strenuus Latinos Sabinosque domuit. Urbem Gabios in potestatem redegit fraude Sexti fili. Is cum indigne ferret eam urbem a patre expugnari non posse, ad Gabinos se contulit, patris saevitiam in se conquerens. Benigne a Gabinis exceptus paulatim eorum benevolentiam consequitur, fictis blanditiis ita eos adliciens ut apud omnis plurimum posset et ad postremum dux belli eligeretur. Tum e suis unum ad patrem mittit

sciscitatum quidnam se facere vellet. Pater nuntio fili nihil respondit, sed velut deliberabundus in hortum transiit ibique inambulans sequente nuntio altissima papaverum capita baculo decussit. Nuntius fessus exspectando rediit Gabios. Sextus cognito silentio patris et facto intellexit quid vellet pater. Primores civitatis interemit patrique urbem sine ulla dimicatione tradidit.

Postea rex Ardeam urbem obsidebat. Ibi cum in castris essent, Tarquinius Collatinus, sorore regis natus, forte cenabat apud Sextum Tarquinium cum iuvenibus regiis. Incidit de uxoribus mentio: cum suam unus quisque laudaret, placuit experiri. Itaque citatis equis Romam avolant; regias nurus in convivio et luxu deprehendunt. Pergunt inde Collatiam; Lucretiam, Collatini uxorem, inter ancillas lanae deditam inveniunt. Ea ergo ceteris praestare iudicatur. Paucis interiectis diebus Sextus Collatiam rediit et Lucretiae vim attulit. Ilia postero

die advocatis patre et coniuge rem exposuit et se cultro, quem sub veste abditum habebat, occidit. Conclamant vir paterque et in exitium regum coniurant. Tarquinio Romam redeunti clausae sunt urbis portae et exsilium indictum.

In antiquis annalibus memoriae haec sunt prodita. Anus hospita atque incognita ad Tarquinium quondam Superbum regem adiit, novem libros ferens, quos esse dicebat divina oracula: eos se velle venum dare. Tarquinius pretium percontatus est: mulier nimium atque immensum poposcit. Rex, quasi anus aetate desiperet, derisit. Tum ilia foculum cum igni apponit et tres libros ex novem deurit; et, ecquid reliquos sex eodem pretio emere vellet, regem interrogavit. Sed Tarquinius id multo risit magis dixitque anum iam procul dubio delirare. Mulier ibidem statim tres alios libros exussit atque id ipsum denuo placide rogat, ut tres reliquos eodem illo pretio emat. Tarquinius ore iam serio atque

attentiore animo fit; eam constantiam confidentiamque non neglegendam intellegit; libros tres reliquos mercatur nihilo minore pretio quam quod erat petitum pro omnibus. Sed eam mulierem tunc a Tarquinio digressam postea nusquam loci visam constitit. Libri tres in sacrario conditi Sibyllinique appellati. Ad eos, quasi ad oraculum, Quindecim viri adeunt, cum dii immortales publice consulendi sunt.



